



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Henrici || Svsonis Viri Sanctita-||te, Ervditione Et
Mi-||racvlis Clari, Opera**

Seuse, Heinrich

Coloniae, 1615

Reverendo In Christo Patri Ac Domino Lv dovico Blosio, Cœnobij Lætiens
Abbati digniſimo, Domino ac Patrono suo reuerenter obseruando, F.
Laurentius Surius Carthusianus, S. P. D.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38029

REVEREN- DO IN CHRISTO PATRI

AC DOMINO LVDOVICO BLOSIO,

Cœnobij Latiensis Abbati dignissimo, Domino

ac Patrono suo reuerenter obseruando,

F. Laurentius Surius Car-

thusianus, S. P. D.



N habes tandem, Reuerē-
de Pater, quæ tu tantope-
rè desiderasti, D. Henrici
Susonis viri sanctissimi &
planè Apostolici opera,
nulli non Christiano (vt e-
quidem sentio) vtilissima: quæ tuo & quo-
rundam aliorum hortatū è Suenico idioma-
te Latine conuerti, omninò persuasum ha-
bens, pijs quibusque hoc meo studio pluri-
mum me commodaturum. Nam tametsi
plerique hodie ita sint deprauato animi pala-
to, vt nihil eos afficiant quæcunque ad veram
pertinent veritatem, at nihilominus per plu-
res superesse ambigo, quibus ea sint longè
grauissima. Equorum numero te vel in pri-
mis esse, testatur præter alia multa, illud tuum
epistolium, quo te significasti optare pluri-
mum, vt cuncta Susonis scripta Latino ser-
mone redderentur. Itaque vt tum Reueren-
tiæ tuæ, tum alijs Deum amantibus, ac magis
* 2 ac ma-

INTERPRETIS EPISTOLA

ac magis amare cupientibus gratificarer, libenter totum Susonem vertendum suscepi. De cuius viri scriptis quid sentiendum sit, is demum statuere poterit, qui ea non oscitanter, non perfunctorie, non sola discendi libidine & curiositate, sed religiose & attente perlegerit. Credo equidem neminem tam saxeo esse pectore, qui non caelestis gratiae inexperita prius illustratione, sit non nihil immutandus, si se sedulum horum praebere lectorem non recusauerit. Nam de industria vbique & in omnibus scriptis suis id agit, id molitur, ut caecas hominum mentes ad Creatoris & sui cognitionem deducat, & ad visibilium contemptum, ac Dei amorem accendat: ut quoad eius fieri potest, Mundi huius ac rerum labentium, quibus pro dolor mortales penè omnes plus nimio addicti sunt, vanitatem, instabilitatem, fallaciam, perniciem ob oculos ponat, ut ijs cognitis, amorem suum inde reuocent miseri, totosque se conferant ad inquirendum, cognoscendum, amandum, fruendum Deum, qui solus potest totum hominis explere desiderium. De quo pulcherrime dicit praclarissimus ille Ecclesiae Doctor Augustinus: Fecisti nos Domine ad te, & ideo inquietum est cor nostrum, donec in te requiescat. Multos ego legi, qui efficacissimis rationibus persuadere conentur hominibus, ut curam agant salutis suae, meminert,

DEDICATORIA.

nerint, se Christo de omni vita rationem reddi-
dituros, fugiant Mundi oblectamenta, ti-
meant tremenda Dei iudicia, cælestibus & æ-
ternis bonis perpetim inhient, & vt paucis a-
gam, sobriè, iustè, ac piè viuant in hoc seculo,
sed nescio, si quis nostro Sufone de his scribat
efficacius. Sermo eius Germanicus magnam
habet gratiam, adeò vt Latino sermone eam
assequi non potuerim. Deinde accedit mira-
bilis sancti Spiritus feruor, & vita sanctissima,
quibus nihil non persuaderi possit. Facile e-
nim permouetur lector ad sectanda & ample-
ctenda quæ hortaris, si non verbis tantum, sed
etiam exemplis ex teipso potissimum petitis
possibilia declares, quæ amplectenda admo-
nes. Ea re factum ego arbitror, vt liber ille pijs
omnibus notissimus, qui Horologium æter-
næ Sapientiæ inscribitur, & est à Sufone non
ita vt in Latino habetur, sed Germanicè com-
positus, postmodum verò à quodam nimia
licentia non conuersus, sed totus ferè muta-
tus, alijs additis, alijs subtractis, quæ Germa-
nicus codex non habet: vt is, inquam, liber
hac de causa sæpissimè excusus, auidissime le-
ctus sit, hodieque legatur, & tum fecerit, tum
etiamnum faciat fructum mirabilem, mul-
tò vtique maiorem facturum, si, vt est ab au-
thore editus, ita esset integra fide traductus:
id quod ego nunc demum me præstitisse spe-
ro, mutato libri titulo, vt pote qui in Ger-
manico

* 3

INTERPRETIS EPISTOLA

manico non habetur, de quo dolendum, est
 tam infidelem eum nactum interpretem, i-
 mō paraphraften, cū sit in Germanico suc-
 cinctus, purus, mirè efficax, ne lectori proli-
 xitate moueat stomachum, & nihilominus
 id, quod vult, in eius animo efficiat. Nisi fal-
 lor, idem huius opusculi interpres fuit, qui
 trium librorum D. Ioan. Rusbrochij de nu-
 ptijs spiritalibus: qui sua illa transferendi
 immodica libertate effecit, vt malè audièrit
 apud aliquos D. Ioan. Rusbrochius, vir omni
 laude superior. Hoc non est conuertere, sed
 peruertere sanctorum virorum monumen-
 ta, si addas & adimas pro tuo arbitratu, quic-
 quid visum erit. At tamen nolim ego in il-
 lum interpretem, quisquis demum fuerit,
 acerbis inuehi, quia fecit, opinor, vt sibi
 consultissimum videbatur: & quamuis mul-
 tum discessit à fide interpretis, tamen quia
 prodesse voluit, commendanda est bona vo-
 luntas, & eius causa leuius ferendum, quod
 non est secutus officium fidi interpretis. Sed
 vt ad Susonem reuertamur, qualis eius vita
 fuerit prolixè in operis huius penè extrema
 parte conscriptum est: licet omnia vitæ eius
 gesta memorabilia illic annotata non sint,
 sed pauca duntaxat è pluribus vt illi pla-
 cuit alijs secrete sub alterius nomine aperi-
 re. Porrò in Germanico codice, vnde nos
 eius Lucubrationes transtulimus, quedam
 bre-



DEDICATORIA.

breuiter incerto authore commemorantur, quæ in eius longiori vita non habentur, quæ hic paucis inferere libuit, ne si alibi ponerentur, Opus ipsum nimis prolixum euaderet. Itaque in baptismo nomen Henrici accepit at ubi in miram excreuit sanctitatem, Deus Henrici vocabulum in AMANDVM mutauit. Sed humilitatis causa, quoad vixit, noluit id cuiquam patefacere: at post obitum eius inter reuelationes diuinitus illi præstitas inuentum est, hoc ei nominis pro suo eximio in Deum amore, ab ipso Deo impositum. Cognomen ex patre usurpare noluit, licet honesta & insigni esset familia oriundus: sed matris, utpotè sanctissimæ Matronæ, retinuit, ut simul etiam virtutes illius æmularetur. Vnde factum est, ut non Henricus Mōtensis ex patre, sed Henricus Suso ex matre sit passim appellatus. Vbi autè Constantiæ S. Dominici institutum amplexus multum in pietate profecit, ac deindè Coloniae Agrippinæ ad id vsque eruditionis prouectus est, ut iam iamque in Sacræ Theologiæ Doctorem esset promouendus, prohibuit eum Spiritus Domini Iesu, ne eum honoris titulum susciperet, dicens eum abundè satis respectum habere, qua se ratione ad Deum conuerteret, atque alios iridem ad Deum concionando pertraheret.

Ita ergò concionari exorsus est tanto cum
 * 4 feruore

INTERPETIS EPISTOLA

feruore & efficacia, vt celebre ex concione
nomen referret. Erat autem hæc illi in conci-
onando consuetudo, vt si quippiam notatu
dignum dicere constituisset, quo Auditores
attentos faceret, his verbis vteretur: Auscul-
tate obsecro: en Suso pro suo nomine perso-
nabit, quod in Germanico longè significan-
tius dicitur. Eum in modum ex suo nomine
alijs vtebatur dicendi formulis, quibus po-
pulum attentum redderet, quæ non possunt
commodè Latinè exprimi. Scripta quadam
sua multis annis recondita seruauit, donec su-
um obiisset diem, nemini ea exhibiturus mo-
destiæ causa. Tandem ratio cœpit vrgere eum,
vt dum adhuc esset in viuis, Superiori suo ea
offerret perlegenda, quod faciliè posset, si qua
occurrerent dubia, eorum rationem reddere.
Et quamuis fortassis imperiti quidam, quo-
rum non sunt magnipendenda iudicia, mali-
gno animo ea carpere ac temere iudicare vel-
lent, non attenta pia animi eius intentione,
aut præ sua hebetudine & inscitia in seipsis
nihil eiusmodi capere valentes: (euenire nan-
que poterat, vt eo defuncto in tepidorū ma-
nus scripta eius inciderent, qui ipsi nullam ad-
hibuissent operam, quò pijs ac eorum auidis
communicarentur in laudem Dei: vel etiam
vt rationis lumine destitutis, aut animo de-
prauatis ac malignis primò exhiberentur,
qui ex sua inuidia ea supprimerent, vt
crebrò

DEDICATORIA.

crebrò accidit) sumpta fiducia præcipuas quas-
dam ac difficilimas è suis scriptis excerptit
sententias, easque obtulit legendas Doctori
cuidam Theologo mirificè diuinitus illustra-
to, ac præclaris animi dotibus affecto, per
Germaniam instituti Dominicani primario
Præfecto, quem Prouincialem vocant, nomi-
ne Bartholomæo. Qui eas studiose perlegit, &
modis omnibus approbavit, dicens sacris lite-
ris eas ad amussim consentire. Deinde vole-
bat eidem Bartholomæo etiam ea, quæ minus
habebant negotij, examinanda, tradere: sed
illo interim defuncto, cum non posset voto
potiri suo, admodum tristari cœpit, quod ne-
sciret quid ageret. Eam ob rem serio se contu-
lit ad obsecrandū Deum, vt is, quid fieri ex-
pediret, indicare dignaretur. Apparuit ergò
illi per visum memoratus ille insignis Theo-
logus, multa luce conspicuus, aitque Deo esse
pergratum, vt pijs omnibus scripta sua im-
partiret. Quod etiam fecit ex animo. Hacten-
us ex Germanico codice, quæ illic fufius
habentur, comprehensus inseruisse satis sit.
Nolui enim quicquam prætermittere, quod
esset in rem lectoris. Possem hic multis ad-
hortari Lectores, vt postpositis nugis & per-
niciosis scriptis, conferant sese ad eiusmodi
lectitandos codices, qui non nisi Christi spiri-
tum respiciant, ne quandoque acerbissimè,
quamuis frustra, doleant se bonas horas tam

* § male

malè collocâsse. Sed tēdet me surdis verba facere. Video ego hoc corruptissimo seculo ita plerosque omnes affectos esse, vt quasi dedita opera ipsi sibi perniciem adsciscant. Nōrunt quidem extremis ijsque eternis supplicijs puniendos eos omnes, qui hic malè vixerint: tamen nescio qua vel demētia, vel desperatione, vel impietate contemnunt minas omnipotentis Dei, & suis indulgent affectibus: absit vt quisquam eos ab hac peruersitate reuocare auit. Si quis ea sit impudentia, vt nihil dubitet, quamuis malè viuentibus Dei certā misericordiam & impunitatem, modo fidem solam habeant, promittere: eum sic auscultant omnes, eiusque scriptis tantam adhibent fidem, vt olim solebant Appollinis oraculo. Si quis contra eam reprehendat temeritatem doceatque omnem Sacram Scripturam comminari aternos cruciatus malè agentibus, polliceri eterna præmia rectè viuentibus, irrident eum tanquam delirum & emotæ mentis hominem. Quid igitur faciastam occæcatis & penè in furorem versis hominibus, qui omninò perire volūt? Poterat ea res ab euulgandis sanctorum virorum Lucubrationibus absterre plerosq; nisi quod Christiana charitas non patitur, propter innumeros impios & suæ salutis incuriosos, paucos Dei electos negligere, quos certum est huiusmodi operū studiosa lectione maxima sæpè emolumenta

con-

DEDICATORIA.

consequi. Sed nè Reuerendæ Paternitati tuæ
tadio sim, dum sum prolixior, omisis alijs,
quæ huc adferri possent, tibi Suscipiende Pa-
ter & Abbas dignissime ac eruditissime, Suso-
nis nostri opera ex animo dedico, vt tuo po-
tissimum nomine exeant in manus piorum,
qui totus es ipse pius ac pietatis amâtissimus.
Nolo hic Reuerentiæ tuę encomiasten agere,
quod certus sim laudibus te cruciari potius
quam delectari. Quicumque tua legerût scri-
pta, ex illis possunt de tua erga Deum & pro-
ximum charitate, multa prudentia, & haud
vulgari eruditione coniecturam facere: vt
cæteras animi tui præclaras dotes prætermit-
tam. Oro autem, Reuerentia Tua placido
vultu & cãdido animo accipiat, quod prom-
ptissima & deditissima mente offero, suisque
precibus me commendet Christo Opt. Max.

Vale Pater celeberrime. Colonia ex

Cænobio nostro Carthusiano,

pridiè Ascensionis

Domini, 1555.

(?)



PRAE-